





DE NUMMIS REGUM MYSIÆ SEU RASCIÆ AD VENETOS TYPOS PERCUSSIS COMMENTARIOLUM.



VENETIIS MDCCL.
Ex Typographia Albritiana.

Numquam liquidum, ſincerumque ex turbido venit.

Publ. Syr. Mim.





IOANNI.EMO.

D.MARCI.PROC.

PIO.FORTI.PRVDENTI

OB.RES.

DOMI.FORISQVE.

FELICITER.GESTAS.

DE.REP.OPTIME.MERITO

OPELLAM.

HIERON.FRANC.ZANETTI

AL.F.

TVENDAM.COMMENDAT.





VEnetæ Monetæ dignitas ex eo maxime elucet quod & priſcis illis temporibus, quibus nondum florentiſſimæ Reipublicæ res ad ſummum gloriæ & magnitudinis faſtigium pervenerant, a potentiſſimis Principibus cum propinquarum tum longe diſſitarum regionum, libenter ſuſcepta, immo avide conquiſita deprehendatur. Nec mirum. Quum probitate metalli, elegantia quadam formæ, & ponderis conſtantia præ cæteris omnibus quæ hac illac tunc temporis percutiebatur, fortaſſe polleret. Hinc Ducatus aureus Joannis Danduli ætate primum Venetiis percuſſus, expeditiſſimo itinere ad extremas Orientis & Occidentis oras deductus, & longe lateque diffuſus. Hoc præcipuum noſtratis Pecuniæ decus.

Sed & de altero ſatis antiquo ac forte in hunc diem cives noſtros latenti, Venetæ Monetæ honore, nunc differere eſt animus; ut non ſolum eam iam ubique libenter ſuſceptam, ſed illius etiam typorum formam neque brevi temporis intervallo, neque anguſto loci ſpatio a ſummis Regibus adoptatam, ſcribendo com-

monſtremus. Ad hoc potiſſimum duabus de cauſſis adducimur: argumenti nempe novitate, & deſiderio, quo iamdiu diſtinemur, ea omnia, quæ ad augendum dulciſſimæ Patriæ ſplendorem facere poſſunt, e latebris in publicam lucem vindicandi.

Nummos argenteos Regum Myſiæ ſeu mavis (*a*) Raſciæ, qui Sæc. XIII & XIV floruerunt & pondere & forma Venetis Sæculorum eorumdem per quam ſimiles, oculis aperte teſtantibus, nemo ibit inficias. Eruditis iam explorata res eſt. Venetum *Groſſum* ſeu *Matapanem* [Monetæ genus primum Henrico (*b*) Dandulo Duce percuſſæ Ann. ab V. C. DCCLXX.] accurate referunt; ſi nomina D. Marci, ac Ducis excipias. Quorum loco

(*a*) Nomine Raſciæ hic intelligas cum Bonfinio, & Sambuco (Rer. Hung. pag. 300., & 750.) *Myſiam Superiorem*, ſeu cum aliis *Orientalem Serviæ partem* a Raſca flum. per eandem labente tali adpellatione donatam. Ibi urbes præcipuæ Alba-Græca, Semendria &c. Vide Brietium, Baudr. & Ferrar. in Lex. Geograph.

(*b*) Hic [Henr. Dandul.] Monetam argenteam vulgariter dictam *Groſſi Venetiani*, vel *Matapani* cum imagine Jeſu Chriſti in throno ab uno latere, & ab alio cum figura Sancti Marci & Ducis, valoris viginti ſex parvulorum primo fieri decrevit. Andr. Dand. in Chron. Lib. x. p. 315.

loco D. Stephani Serviæ patroni, & Regis imperantis nomina adnectuntur. Cæterum differentia nulla, ut Venetiis potius quam alibi cusos primo intuitu facile credas. Cur vero, quo, tempore, quave ratione hoc factum, brevi dicemus, hæc tractationi nostræ materiam dabunt.

Sed antequam ad Nummorum inlustrationem manum admoveamus, operæ pretium duximus nonnulla præmittere de inlustri Neemaniorum familia, ex qua Reges Rasciæ primum dati. Hæc argumento satis tenebroso quid luminis adlatura non iniuria adfirmamus.

A Sacerdote quoddam Græco, ortum duxit Neemania gens. Huius filius fuit Gliubomir Tarnoviæ (*Tarnou*) Dux, ex quo natus est Urosc, seu mavis Uroscius pater Dessæ, (*c*) qui Anno MCLXI Radoslavium III Draghihnæ Regis filium, paterno pepulit Regno, rerumque potitus est.

In ditione armis parta successit illi filius Neemania nomine, qui auctis bel-

(*c*) Filiam Dessæ nupsisse Leonardo Vitalis Michael Venetiarum Ducis filio, auctor est *Cangius* in Fam. Slavonic. & Dalmatic.

lo, & in diem florentibus domesticis rebus, nomen ex suo Neemaniæ genti, & sibi (*d*) Mega-Iupani [hoc est Magni Ducis] titulum imposuit. Ann. deinde MCLXXXIX a Friderico Cæsare I in Syriam abeunte, imperiali auctoritate in ditione rite firmatus, de medio sublatus est; filio Thiomil hærede relicto, qui brevi parentem sequutus, locum fecit Simoni fratri, a quo continuata Neemaniorum soboles.

Hæc illius gentis exordia, si Orbino (*e*) credas. Apud alios rerum harum Scriptores alia invenias. Sed quum rem implicatam & altis adhuc tenebris suffusam deprehenderemus, neque expiscari vacaret, fidem potius Orbino adhibere maluimus quam longa nimis disquisitione Lectores nostros, inutili forte nisu, torque-

(*d*) Vocis hujus etymon vide apud Cangium in Not. ad Lib. IX Alexiad. Annæ Comnenæ. „ Ita „ appellabant Servii & Dalmatæ Regionum Præ- „ fectos, seu qui proximam a Rege potestatem „ habebant, inquit Cinnamus, voce Nicetæ in „ Isaacio Lib. III. n. 4. Porphyrogenit. de Adm. „ Imp. cap. xxix. *Zupanos*, *Supanos*, *Mega-Iupanos*, *Magnos-Iupanos*, & *Archi-Iupanos* eos adpellatos apud Script. passim invenias.

(*e*) Regn. degli Slav. pag. 247.

quere. Si quis plura desiderat (*f*) Hungaricarum, (*g*) & Dalmaticarum Rerum Scriptores consulat, iisquæ addat Niceph. Greg. Lib. VI. Hist. Byzant. Nicetam Choniatem in Annal. & Annam Comnenam in Alexiad. Lib. VII.

Nunc ad propositum redeamus.

Omnium primus, qui Regum (*h*) horum unicum Numisma ediderit Ducangius; e Ducangio subinde (*i*) Bandurius. Ii editum ab se Nummum Uroscio Romaniæ Imperatori Ann. MCCCLXVI censent. Unum etiam protulit Muratorius; alterum Lirutius. Sed ambo vitio Chalcographi satis male repræsentati. Quinque nunc primum e scriniolo nostro exhibemus nos. Equidem plures ad hunc diem nobis inciderunt in manus. Sed ab edendis abstinuimus. Qua de caussa, accipe. Ex quo primum

 Ra-

(*f*) Francofurti. Apud VVechel. 1600.
(*g*) Amstelod. Apud J. Bleu. 1668.
(*h*) Reges Serviæ aliquando etiam adpellati sunt *Despotæ*, & *Crales*, testibus Gretsero. Observat. in Georg. Codin. Lib. II. c. I. Spandugino Histor. Turcic. apud Sansovinum, & aliis, quos, si lubet, videas ap. Andr. Joseph Gittio, in opere cui titulus *Lo Scettro del Despota* impress. Neapol. 1697, in quo plura de Neemania gente passim invenias.
(*i*) Num. Imp. Tom. II. pag. 772.

Rasciæ Reges Monetam ad Venetos typos cudere cœperunt [quod XIII ineunte Sæculo factum] nonnulli eorum eodem sive Stephani sive Uroscii nomine insignes in regno consederunt. Hinc quum nullum ætatis indicium hisce in Nummis [parum admodum inter sese discrepantibus] Regum nomina subsequatur , sed omnes solo sive Stephani sive Uroscii nomine obsignati deprehendantur , sola omnino characterum , imaginumque forma de illorum ætate judicium ferre conantibus observanda remanebat . Nummos itaque nobis inter se diligentissime conferentibus ut quem prius quem posterius conlocandum sciremus, aperte adparuit, hos tantum , quos exhibemus inter se revera differre ; cæteros omnes alicui ex quinque nostris coævos , eodemque typo percussos. Hæc in caussa fuerunt cur his probatis, reliquos omnes missos faceremus . Sed ut æquius certiusque hac in re iudicium ferremus , & veram [quantum fieri poterat] unicuique adsignaremus ætatem , eos cum Venetis *Grossis* annorum illorum, quibus respondere nobis videbantur conferri curavimus . De vero certoque tem-

po-

pore , quo quiſque Venetorum *Groſſorum* percuſſus , nullum dubium , nomine Ducis manifeſte prodente .

His ita præmiſſis , primus nobis ſe ſe offert (*) Nummus inſpiciendus Stephani nomen præferens . Hunc ſi cum Groſſis Henrici Danduli , & Petri Ziani conferas , differentiam nullam deprehendes . Idem pondus , eadem forma ac metalli probitas , imagines eædem , iidem prorſus characteres . Quamobrem Stephano I, quem Ann. MCCXVI regali honore dominatum ſcimus iure optimo cenſeas . Hunc natum patre Neemania [de quo ſuperius] Hiſtoria & monumenta teſtantur . Thiomil fratri iam vita functo , in regno ſuffectus eſt . Ab infantia Simon adpellatus [cauſſam neſcire fatemur] creſcentibus annis Stephani nomen cum regno aſſumpſit, ſolo Mega-Iupani , hoc eſt Magni Ducis titulo contentus . Sigillum a (*k*) Lucio relatum aperte rem indicat.

Ibi

(*) In Tab. n. I,
(*k*) De R. Dal. pag. 256.

Ibi legas:

C ΦPA	--	ΛOY
Γ/ C T E		ZOYΠ
ΦANOY	--	ANOYT OYNEM
ME ΓA	--	ANIA

ΣΦΡΑΓΙΣΜΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΖΟΥΠΑΝΟΥ ΤΟΥ ΝΕΜΑΝΙΑ. Hoc eſt: *Sigillum Stephani Magni Supani filii Nemania*. *Mega-Iupani* titulum conflatum, ut ita dicam, Slavo-Græco vocabulo, facili negotio comperias. Sed quum Joannicius Bulgariæ Dominus Coronam Regni Bulgarici ab Innocentio III tunc Romano Pontifice petiiſſet, Stephanus quoque noſter eundem Serviæ ſuæ titulum enixe rogaverat. Verum Andrea Hungariæ Rege, qui & Serviæ titulo utebatur, id non probante, (*l*) nil actum. At Innocentio e vivis ſublato, Honorius III ſucceſſor, vitato Serviæ nomine, Stephanum percupientem Re-

(*l*) Acta Innoc.

Regem Rasciæ, (*m*) antiquo Chronographpo teste, renunciavit. *Eodem tempore Stephanus Dn. Serviæ, seu Rasciæ, qui Mega-Iupanus appellabatur missis Apocrisiariis ad Romanam Sedem, impetravit ab Honorio* [Tertio] *Summo Pontifice coronam Regni; direxit namque Legatum a latere suo, qui veniens coronavit eum, primumque constituit Regem terræ suæ*.

Qua vero de caussa Romanus Pontifex insigne decus schismatico homini indulserit, Dandulus noster docet: *Stephanus quoque Dominus Raxiæ, & Serviæ, qui (o) Mega-Iupanus appellatur dum neptem quondam Henrici Danduli Ducis accepisset in coniugem ex suasione uxoris, abiecto schismate, per nuntios a Papa obtinuit ut regio titulo decoratus esset & per (p) Le-*

(*m*) Archid.ap.Luc.p.156. (*n*) In Chr.L.X.p.340.
(*o*) Muratorius edidit *Megavipanus*. Perperam.
(*p*) Is forte fuit *Gregorius Crescentius* Romanus, de quo Ciaconius (*Vit. Pont.* Tom. II. pag. 55.) „ Quare (*Honor. III. ann.* 1216.) Legati Apostolici munus Gregorio Crescentio Romano titulo „ Sancti Theodor. Diacono Cardinali in Dania, „ Suecia, Polonia, ac Bohemia commisit, ut Ecclesias illas ad primævam pietatem revocaret; „ nec sine fructu; nam ipsemet Stephani Serviæ „ & Diocliæ, aliarumque Provinciarum Regis Oratores recepit ec. „ Sæpius *Crescentium* S. R. Se-

Legatum Cardinalem ad hoc missum una cum coniuge coronati sunt. Hæc adnotat Dandulus ad Ann. P. Ziani X. Litteras, quibus Stephanus, posthabito patrio Græcorum Schismate, quo diu vixerat, orthodoxæ militiæ nomen dedit [Pagio (*q*) hac de re silente prorsus] refert Ciaconius. (*r*) Hæc earum inscriptio: *Sanctissimo Patri & Domino Honorio III Romanæ Sedis Ecclesiæ universali Pontifici, Stephanus Dei gratia totius Serviæ, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Obulmiæ Rex coronatus inclinationem summæ fidelitatis constantia*. Cætera, si lubet, apud Ciaconium legas.

Quænam vero fuerit hæc Henrici Danduli neptis, cuius adductus admonitionibus ad sanctissimam Romanæ Ecclesiæ Fidem sese receperit Stephanus, nostratium forte Scriptorum incuria, non bene compertum. Nonnulli *Dandulam* eam adpellatam adstruunt; nonnulli *Annam*, Rai-

Sedis Legati ad Hungaricos, & Dalmatas munere functum certissimis argumentis ostendit Adnotator ad *Hist. Salonit. Thomæ Archid. Spalat.* inter Script. Rer. Dalm. pag. 471, & idem Archidiaconus cap. XXIV. pag. 332.

(*q*) Breviar. Gest. Pont. Rom.

(*r*) Tom. II. pag. 55.

Rainerio Dandulo natam Henrici Ducis filio, qui tunc temporis sublimi Procuratoris D. Marci dignitate pollebat'. Similitudine nominum fortassis error irrepsit.

Quum ergo in huius Regis Nummo aeque ac in caeteris successorum, quos damus, integram Venetorum speciem repraesentari conspicias, hoc factum intelligas a Stephano, ut nobilissimis Venetae Reipublicae proceribus, quibus tam arcto adfinitatis vinculo iungebatur, amorem suum, summamque in eorum Patriam reverentiam ultro testaretur. Scriptores probatae fidei, quibus nostra haec coniectura fulciatur, revera non suppetunt. Sed quum nulla melior rei huius caussa e barbarorum temporum tenebris adhuc emerserit, ad hanc tenendam sententiam, non improbanda coniectura, rerum gestarum observatione adducimur. Verum non tam mordicus nostram tuemur ut caeteras omnes prorsus reiiciendas velimus. Immo & alteram addimus. Barbaro Regi, barbarioris nullisque bonis artibus excultae gentis, rei Monetariae artem in integrum defuisse iis praesertim temporibus, facile coniicias. A Venetis petiit.

Hinc

Hinc factum ut Veneti Monetarii Regi, cæterum amico, Venetisque principibus adfini, patrios adferrent typos, iisque primum ibi Monetam procuderint. Hæc si arrideat priori præferas. Si neutra, de tuo pœnu meliora satage proferenda. Sed ad Nummum tandem.

I.

In adversa:

„ (*) STEPA.... S STEPA.... *Ste-*
„ *phanus. Sanctus Stephanus*, Serviæ Pa-
„ tronus.

„ Stephanus stans a dextris [Græco-
„ rum more hoc factum, adfirmant alii;
„ alii oscitantia artificum] cum corona,
„ tunica & pallio gemmis distinctis;
„ Crucem longam, &, ut aiunt, dupli-
„ cem tenet una cum Sancto Stephano
„ stante a sinistris cum tunica & pallio
„ & Cod. Evangeliorum læva sustinente
„ ad pectus. Inter Crucem & Regem
„ REX scriptum est. Ad calcem Crucis
„ N. & O.

In aversa vero

„ Je-

(*) In Tab. n. II.

„ Jesus Christus tunica & pallio ami-
„ ctus in cathedra gemmis exornata Cod.
„ Evangel. genibus innixo ; Domini ca-
„ put ambit nimbus, in quo Crux qua-
„ drata, in area littera R.

Tria in Nummo hoc observanda veniunt; Crucem nempe duplicem, Regis vestes, & litteras utraque parte signatas.

De Cruce pauca. Eam in Nummo pro Vexillo, quod in Venetis conspicitur, adiectam a Stephano credimus ut recens ab se praestitam Rom. Catholicae Sedi obedientiam, Rex a Pontifice tanto cohonestatus munere, ostentatione quadam pietatis, gratique animi, indicaret. De duabus litteris N & O, pauciora. Priore earum forte innuere voluit *Neemaniae* gentis cognomen. De altera vero nihil nobis coniectandum superest; quum praesertim iniuria temporum exesa, & poene deleta, vix percipi possit. Littera R in area adversae partis *Rasciae*, sive mavis compendio quoddam, *Regni Rasciae*; supple *Moneta*. Verum de regali amictu, scilicet de pallio & tunica gemmarum serie ad oras distinctis, adnotare lubet hunc eundem esse, quem a Venetis Ducibus diu ser-

ſervatum agnovimus. Venetos (*) Nummos Groſſos XIII & XIV Sæc. confer, iiſque adde Bullas Plumbeas, quas damus in Tab. ſub n. VI. & VII. Earum vetuſtior ad Ioann. Dandulum, recentior ad Michaelem Steno pertinent; prior apud Brunatium Patavii adſervatur; poſterior apud nos. Ex iis, quas Ducalibus Senatus Epiſtolis ſcimus avulſas, forma interioris exteriorisque amictus perſpicue deprehendi poteſt: & inde liquet ſaltem Sæculi ſpatio in Bullis ſive Sigillis harum veſtium uſum apud Venetos Principes obtinuiſſe. Dandulum ad Ducalem evectum dignitatem Ann. MCCLXXXIII, Stenum MCCCC tradit Hiſtoria. In aliis Nummis, non item. Nam adſunt aliqui ex minoribus Franciſci Danduli Ducis Ann. MCCCXXVIII. qui longe diverſam pallii ſpeciem referant. Sed de his alibi fuſius.

II.

Sed alter iam ſubſequitur (*) Nummus

(*) In Tab. n. VIII. & IX.
(*) In Tab. n. III.

mus nomine *Stephani* insignis, demtisque cruce, & corona apprime superiori simillimus. Hunc Brunatius noster delineandum indulsit. Pro cruce Vexillum, pro corona crines concinne in nodum retortos, æque ac in Venetis vides. Sed cui potius Stephano e tribus, qui primum excepere, tribuendus? Stephanus primus [Orbino (*s*) teste] filium creavit Stephanum qui *Iupani*, sive Ducis titulo contentus, filio regnum armis Chelmia auctum, reliquit. Is, cui primum *Neemania* nomen, cognomen *Crapalus*, assumpto Regno, avitum Stephani nomen suscepit, eoque in regni administratione usus est. *Crapalum* excepit filius Stephanus, Primo pronepos, qui Helenam nobilissimam fœminam, quam Francica gente prognatam ferunt, duxit uxorem. Hinc Reges quatuor Stephani nomine adpellatos habes. Species Nummi omnino priori consona; characterum differentia minima, seu mavis nulla. Summa hinc difficultas suboritur cuinam potius adtribuas. Nos nullum ferre iudicium ausi, Lectoribus nostris, harumque re-

(*s*) L. c.

rum peritis libenter pronuntiandum relinquimus.

III.

Sed ex ambagibus hisce ad certiora tandem progrediendum. Tertius subest (*) Nummus Uroscii nomine signatus hoc pacto

UROSIV REX S STEFAN

„ Uroscius stans &c.

In cæteris nil differt a præcedenti, Venetisque æque ac alii per omnia simillimus. Cl. Muratorii auctoritate fulti nos *Milutino* adscribi posse putamus. Peritissimi viri iudicium libenter sequimur.

Uroscius Stephanum, Stephani huius nominis primi pronepotem, patrem habuit; matrem Helenam fœminam nobilissimam Francica gente ortam. Adhuc puer *Milutini* (†) nomen [hoc est *gratus comis*

(*) In Tab. n. IV.

(†) Muratorius eum *Sanctum* adpellatum cum Orbino adfirmat, atque vita excessisse Ann. MCCCXXI. dubitando tradit. *Ant. Med. Aev.* Tom. II. Differt. XXVII.

Huic tribuendum credimus Nummum Aureum a Bandurio [*Numm. Imp. T.* II. p. 772.] commemoratum, cujus ectypum in Cimelio Baudelo-

comis] sortitus est. Ad Regnum evectus Urosc sive Urościum adpellari voluit, fratrique Dragutino, qui iampridem in patrem arma moverat, & tunc in fratrem etiam moventi, Provinciam prope Savum regendam dedit. Nec ipsi iam nova molienti & augendi dignitatem percupido bellum inferri pro summa, qua pollebat, humanitate, passus est. Sed brevi, nulla relicta prole, rebellis vita decessit. Bis nobilissimis fœminis matrimonio junctus est Uroscius. Primum Elisabeth Stephani Hung. Regis filiæ, e qua Uladislavium suscepit. Secundo, filiæ Andronici Cæsaris, e qua Constantinum. Nothum etiam e matrona quadam habuit Stephanum nomine, quem novercæ insidiis excæcatum Regno amandari jussit. (*u*) Huic Cæci cognomen impositum. Moriens Ann. (*x*) MCCCVII. Regnum Uladislavio reliquit. Con-

delotiano se vidisse testatur. *In eo* (inquit Band.) *Rex sedet cum stemmate insolenti, dextra Crucem, læva globum crucigerum tenens. in ambitu* MONETA REGIS VROSI. *In parte aversa Lilia Francica expressa sunt*. Forte ad innuendum maternum genus.

(*u*) Michas Madius *Hist. de Barbazanis de Spoleto*. Script. Rer. Dalm. p. 375.

(*x*) Ibid.

ſtantinum etiam Andronici Cæſaris ex filia nepotem aliquando regnaſſe prodit Nummus inſequens argenteus Scodræ ſignatus, in cuius antica

D. REX CONSTANTINVS

„ Conſtantinus ſedens corona ornatus,
„ ſceptrum dextera, læva Globum tenens.

In poſtica

S STEFANV. SCVTARI.

Conſtantinum Regnum affectantem Uladislavius frater bello captum, barbaro inſuetoque mortis genere miſerrime medium ſecuit.

I V.

Quartum quem damus (*) Nummum omnino ſuperioribus ſimilem, addita regali corona, & duplici, longaque Cruce, facile conferendo, comperias. In epigraphe integrum *Uroſcii* nomen exprimitur. Ad calcem Crucis N & E *Neemania*. In poſtica litteræ P R, quas *Princeps* ſive *Principatus Raſciæ* interpretamur. Reges duos Uroſcii nomine adpellatos poſt primum in Raſciæ Regno con-

(*) In Tab. n. V.

consedisse, perhibet Historia.

Horum prior ille idem est Uladislavius, quem Elisabeth Regis Hungarici filia natum nuper diximus. Regno potitum, e Stephano Uroscium adpellatum ferunt. Venetum Ducatum aureum [vulgo *Cecchino*] hunc adulterasse, deterioremque dolo malo fecisse, nonnulli autumant. Horum unum vidimus Venetis revera persimilem, sed haud Veneti alicuius Ducis, verum proprio Uroscii nomine signatum. At ingenue fateri cogimur, nobis non satis constare cur huic, vel cuicumque tandem fuerit is, qui hoc fecerit (quod non liquido patet) id vitio vertatur. Poterat enim iure suo Rex, suoque nomine Monetam cudere purioris, impuriorisve metalli; nec subinde dicendum Venetam adulterasse. Quod si contra fas Veneto usum typo obiicias, reponemus, ea de caussa usum, qua vel præcessores sui in argenteis Rasciæ Nummis, diuturno temporis intervallo, usi fuerant. Re etenim vera Aligherius noster non adulteratam ab Uroscio pecuniam Venetam neque deteriorem redditam innuit, verum rudi opere neque sa-

tis optimo metallo ſuam (cæterum Venetæ ſimilem) conflaſſe ; quod apprime verum .

- - - - E quel di Raſcia, (y)
Che male aggiuſtò il conio di Vinegia.

Iniuria igitur a (z) nonnullis Divinæ Comœdiæ Interpretibus, adulteratoris Venetæ pecuniæ nota Uroſcio inuſta, quum tantum (*a a*) propriam informem minuſve bonam, non vero alienam, percuſſerit.

Regno a Magnatibus pulſus, acclamatoque in Regem fratre Stephano, quem a patre excæcatum ſuperius narravimus, (*b b*) in carcerem coniicitur, ibique vita functus eſt. Stephanus itaque regno potitus Ann. MCCCXI, Uroſcii nomine ſibi impoſito, pacem cum finitimis iniit & ſedulo excoluit. Ærarii res ita & procuravit & auxit ut in iamdiu exhauſtum ingentem auri argentique vim ſumma cum laude intulerit. Huic referimus Inſcri-

(*y*) Paradiſ. Cant. XIX.
(*z*) Vellutellus, Daniellus & recentiores.
(*a a*) Rem paucis expedit vetus Comment. auctum & editum Mediolani Ann. MCCCCLXXVIII, *per Martinum Paul. Nidobeatum, & Jacobo Laneo* [della Lana] *tributum*: *Et quel di Raſcia, che non fece giuſta la ſua Moneta, che appare Vinitiana. Et però dice, che mal giuſta.*
(*b b*) Mich. Mad. pag. 375.

ſcriptionem, quam cum ad inluſtrandam Regum horum ætatem & potentiam facere poſſit, integram exſcribimus. (*cc*)

ANNO DOMINI MCCCXIX MENSE IVNII INDITIONE VI VROSCIVS REX RASSIAE ET DIOCLEAE ALBANIAE BVLGARIAE AC TOTIVS MARITIME DE CVLFO ADRIAE A MARI VSQVE AD FLVMEN DANVBII MAGNI PRESENS OPVS ALTARIS YCONAM MAGNAM ARGENTEAM LAMPADES ET CANDELABRA MAGNA DE ARGENTO FIERI FECIT AD HONOREM DEI ET BEATISSIMI NICOLAI. EIVS HEREDE ASTANTE (*dd*) DE CATERA FILIO DESIFLAVE FIDELI ET EXPERTO A PREDICTO REGE DEPVTATO ET NOS RY GERIVS DE INVILIA PROTHOMAGISTER ET ROBERTVS DE BARVLLO MAGISTER IN OMNIBVS PREFATIS OPVS DE' PRAEDICTO MENSE IVNIO INCEPIMVS ET PER TOTVM MENSEM MARTIVM ANNI

(*cc*) Ext. in Eccleſia Barenſi Sancti Nicolai Epiſc. vulgo *de Bari*. Orb. pag. 255.

(*d d*) *Cangius* edidit *Decatera Dorislave*.

NI SEQVENTIS CHRISTO FAVENTE FIDELITER COMPLEVIMVS. Alteram adiicimus muro Sacrarii Ædis Majoris Tarvisii appensam. Eam refert Burchelatus (Hist. Tarv. pag. 252.)

MCCCIV *die* XXV *Martii. Franciscus de (e e) Salomone fuit per excelsum principem & D. D. Orosium Regem Rasiæ militari cingulo donatum.*

Is filium Stephanum cognomento Duscianum (*ff*) cum in bello adversus Bulgaros strenue se gessisset, utriusque Zentæ præfectura donavit. Sed a proceribus Servianis haud multo post (incertum an filio invito) in carcerem detrusus

(*e e*) Is fuit frater *Castellani de Salomone* Episcopi Tarvisini.

(*ff*) *Stephani Dusciani* fortissimi, ac potentissimi Ducis, qui Ann. MCCCXL. Imperatoris Romaniæ, Sclavoniæ, & Albaniæ titulum propria auctoritate sibi conflavit, Nummos duos ex argento vidimus:

„ I. STEPNOS. RASIE : 7 : B. T. REX. *Ste-*
„ *phanus Rasciæ, & Bulgariæ totius Rex*. Impera-
„ tor sedens, corona ornatus, sceptrum tenens.

S. TRIFONIS. CATARENS. Sanct. Tripho [Cathari Patronus] stans, nimbo redimitus.

„ II. STEPHANUS IMPERATOR. Impera-
„ tor sedens, dextra sceptrum, læva globum cru-
„ cigerum sustinens.

S. TRIPHON CATHAREN. Sanct. Tripho stans.

ſus & ſuffocatus ſub Ann. MCCCXX-XIII. vitam cum Regno amiſit.

Utrum vero Uladislavio, an Stephano huic, ambo deinde Uroſcii nomine Reges, Nummus noſter referri debeat, breviſſime diſquirendum.

Nobis rem accurate diſpicientibus, Stephano duabus de cauſſis referendus videtur. Speciem Nummi, characterum formam, metallique impurioris notam cum ſubſequentibus potius quam cum præcedentibus convenire arbitramur. Horum tamen minima eſt differentia. Corona inſuper, qua Regis caput præcingitur, & Crux duplex, cui manum admovet, amplioris dignitatis & potentiæ coniecturam præbent; quibus revera Uladislavium a Stephano longe ſuperatum, relata rerum ſeries cumulate teſtatur. Num vero hæc aliquid ponderis ſententiæ noſtræ in tanta rerum ambage conferre queant, ius dicant æqui, peritique Lectores.

V.

Quintus & poſtremus, quem proferimus, ille idem (*) Nummus eſt, quem ex-

(*) In Tab. n. VI.

exhibet Bandurius, Epigraphe UROSIV, Stellæ, & singularis Crucis figura id perspicue ostendunt. Quo loco ab eruditissimo Viro conlocatum invenimus, nos dimovere non ausimus. Ad illius inlustrationem hæc Bandurius. *(gg)*

„ Uroscius Stephani & Helenæ Bulgaræ
„ filius, Rex a patre (Stephano Dusciano)
„ renuntiatus est. Hoc extincto, mense
„ Decembri an. *1356*. Imperatoris ti-
„ tulum sibi perinde atque ille adroga-
„ vit. Sed sub ipsa initia bello appetitus
„ a Sinisciano patruo, maximam Thes-
„ saliæ partem amisit; deinde plerique
„ proceres præfecturarum sibi commissa-
„ rum Dominatum in solidum arripue-
„ rant: postremo cum Vucascino, quem
„ Regia dignitate Imperatoriæ scilicet
„ obnoxia ornaverat, quique obsequium
„ detrectabat, bellum inferret, captus
„ & in Serviam abductus est, nec multo
„ post fugam meditari insimulatus, clava
„ in caput impacta interfectus est anno
„ 1368. duodecimo ex quo imperare cœ-
„ perat.

Ex his Bandurium Uroscio Stephani Du-

(gg) Tom. II. pag. 772.

Dusciani Imper. filio Nummum tribuere colligas ; quem postremum e Neemania gente in Serviæ Regno scimus consedisse. Attamen ne de veritate rei male mereri videremur, prætermissa hic noluimus argumenta duo, quibus fulti, hunc eundem Nummum Uroscio Dusciani filio detrahunt nonnulli, & cuippiam ex iis superius recensitis tribuendum docent. Illud igitur primo observandum venit, quod quum Pater pecuniam non ad Venetos sive alienos typos, sed ad suos tantum obsignatam voluerit (nullus enim repertus adhuc Dusciani Nummus , qui seu Venetum seu alienum referat) haud facile credi possit quod filius Uroscius, a paterno more digressus , iterum ad Venetos typos obsignandam præceperit.

Secundo , testatur Historia , & cum Historia Bandurius , hunc eundem Uroscium Imperatoris titulum , patris exemplo præeunte, sibi adrogasse . Cur ergo nobilissimam , atque a parente traditam Imperatoris adpellationem in Nummis suis neglexisse credendum ? Uroscium hanc detrectasse, contra fidem Historiæ , nemo adfirmaverit . Verum Regis tantum non

Im-

Imperatoris titulo Nummum notatum legas. Nos gravissimi argumenti vim ægre dissimulari posse fatemur.

Sed antequam Commentariolo nostro finem faciamus, rerum harum amatoribus non iniucundum fore arbitramur, si & Regum Hungariæ Nummum Venetis typo adfinem, nunc primum æri diligenti opere incisum, vulgaremus. Nummus ex argento & pondere & specie parum a relatis, & proinde a Venetis, distat. Metallum excipe longe peioris notæ. Apud nos extabat; sed nuper amico dono dedimus.

In adversa:

(*) KARVLVS REX S STEFAN

„ Carolus stans, imberbi ac juvenili
„ aspectu, cum corona, toga, & pallio,
„ dexteram Vexillo admovet, læva sceptrum
„ tenet. S. Stephanus, pro ut in præceden-
„ tibus. Ad calcem Vexilli Crux quadrata.
„ In aversa:

Jesus Christus sedens. In area ex utraque parte Lilia Francica.

Carolo Roberto, seu mavis (*b b*) *Caroberto* Hungariæ Regi Nummum adiudicamus

(*) In Tab. n. VII.
(*b b*) Luc. pag. 188. Rainald. 1299. n. 13. & 1303. n. 14.

mus, eoque tempore cusum, quo, iudice & fautore Bonifacio VIII Pont. Max., Regni corona per Legatum Pontificis, Albæ insignitus est. Lilia gentem produnt. Is Carolum Martellum Andegavensem e Siciliæ Regibus, patrem habuit. Andegavenses regali Francorum gente fluxisse quis ignoret? Anno MCCC dum XI ætatis suæ ageret, e Sicilia in Hungariam missus; postmodum Anno MCCCX tandem in Regem coronatus est. Ob Hungaricorum procerum intestina dissidia nutanti auctoritate diu imperavit. Verum compositis rebus, Mladenum Dalmatiæ tyrannum bello devictum, captivum in Hungariam abduxit. Regnum non modo strenue tutatus est, sed plurimum etiam auxit, profligato Matthæo Trintschiniensi Comite prope Cassoviam. Demum XXVII Kal. Aug. Ann.MCCCXLII Ludovico maximo natu e filiis, hærede relicto, (*ii*) e vivis sublatus est.

Non defuerunt qui Nummum Carolo Martello Caroberti patri, Hungariæ Regi, ut ita dicam dessignato, tribuendum putarint. Sed stolide admodum. Imberbis & iu-

(*ii*) Abrah. Baschay. Chronolog. Reg. Hung.

& iuvenilis Caroli aſpectus ſatis indicat cui recte cenſeas, quove tempore obſignatum teneas. Hæc de Nummo. Nunc de cauſſa, qua Venetos referat. Andream III cognomine Venetum, Carolus Robertus in Regno excepit. Andreas e Stephano Andreæ II nepote, & Thomaſſina Maurocena Veneta Matrona ortum duxerat. Ex quo *de Morexinis* etiam (*k k*) adpellatus eſt. Rex Venetiis natus, Venetorum adfinium immenſis opibus in regno (*l l*) conlocatus, firmatuſque fuerat. Parentes & patriam conſtanti reverentia, parique amore ita proſequutus eſt ſemper ut Bonfinio (*m m*) & Sanuto (*n n*) teſtibus, *gentilitia* Maurocenorum *arma* uſurpaverit, *cruce* alba *cum circulo* tantum adiecta, *ut a cæteris Nobiliſſimæ Maurocenæ gentis*, dignoſceretur. *Parentis* [ea ſunt Bonfinii verba] *nobilitatem uſque adeo præveneratus ut rerum potitus, humilioris fortunæ inſignia præ matris amore, & illius urbis reverentia non ſpreverit*. Cur ergo mi-

(*k k*) Chron. Mss. Bibl. Sancti Marci Venet. n. 19. C. 5. 3.
(*l l*) Thurocz. Chron. Hung. Cap. LXI.
(*m m*) Rer. Hung. pag. 307.
(*n n*) Vit. Duc. Venet. pag. 578.

mirum si ad Venetos typos Hungaricam Monetam etiam conflari mandaverit? Cuius proinde Carolus Robertus in regno suffectus, speciem, prout coniicimus, imitatus, adiectis tantummodo Liliis, hunc Nummum ediderit. Difficillimis temporibus Carolum in Regnum pervenisse constat; typi ad cudendam Monetam fortasse deerant; Andreæ paratos invenit: hisce usus est. Hæc tamen divinando potius, quam adfirmando scribimus. Nullum etenim Andreæ Nummum Venetos referentem adhuc vidimus; ex quo coniectura nostra quam maxime firmaretur. Unum habuimus ab amicissimo Viro, qui nobis largitus est, Andreæ Veneto tributum, Venetisque revera persimilem. Sed characteribus nimium adtritis, nullum expiscari potuimus Regis nomen. -- NGARIE REX commode legi poterat; cætera frustra tentavimus.

Hæc demum ea sunt, quæ de Nummis hisce dicenda nobis institueramus; plura allaturi, si per nos licuisset. Sed labefactatis rebus nostris, ac stomachi tyrannide, animique anxietate pœne deleti, plura, prout in votis erat, præ-

stare


ſtare nequivimus . Utinam tandem Deus Opt. Max. nos ſartos, tectosque velit, & Sapientiſſimi florentis hujus,ſanctiſſimæque Reipublicæ Viri , quibus Rei Litterariæ ſumma demandata poteſtas , nobis humanioribus diſciplinis inhiantibus , otium faciant , laboribusque noſtris exoptatum finem imponere non dedignentur.


VIVAT. FLOREAT. QUI. LEGIT.





AR.
















VIII



IX






Österreichische Nationalbibliothek
+Z156549108




Österreichische Nationalbibliothek
+Z156549108





